
240

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ menſis Martii, anno Domini M. DCC. LXVIII.

M. GUILLELMO JOSEPHO DE L'EPINE, Antiquo Facultatis Decano, Doctore Medico, Præſide.

M. JOSEPHI DUSSANS, Doctoris Medici, Vices Gerente.



Utrùm in pertinacibus capitis facieique doloribus aliquid prodeſſe poſſit ſectio ramorum nervi Quinti Paris?



NERVI à cerebro, cerebello, medullâ oblongâ & ſpinali oriundi motum ſenſumque toti corpori impertiuntur; nutritioni partim inſerviunt. Læſo nervo teterrimæ oriuntur convulſiones, hoc penitùs diſſecto perit omnis motus partis cui diſtribuebatur, imò omnes alicujus membri nervos ſi ligaveris, brevì ſuperveniet hujus atrophia. Quanti verò momenti ſit genus omne nervoſum ſatis demonſtrant ſtupendæ illæ partium omnium ſympathiæ, quas inſtituunt nervi. Hi veluti cuſtodes fidiſſimi, ſecuritati totius œconomiæ invigilant; ſi quid immineat periculi, monent; ſi quid minùs benè ſit ordinatum, docent: nè minimo quidèm inſtanti feriari poſſunt, quìn partem fidei ſuæ commiſſam invadat torpor ſubitus morti valdè ſimilis.

Quomodo perficiantur omnes iſtæ nervorum functiones ignorant adhùc Phyſici, diùque forsàn ignorabunt. Nonnè ergò incautè ſe gereret, quiſquis nervum alicujus momenti ſecaret nullis fretus theoriæ vel praxeos principiis? Quantò damnandus magìs ſi ipſi adverſarentur morbi natura & partium ſtructura? Temerariam verò eſſe famoſam hanc & anteà inauditam operationem nupèr inſtitutam ad ſanandum pertinacem faciei dolorem pronuntiare quis dubitet, ſi aſſerti iſtius teſtes habeat certiſſimam theoriam anatome confirmatam, pravoſque ſectionis pluries repetitæ ſucceſſus? Id quippè intendit Chirurgus hanc operationem celebrans, ut ſecet, ſeparetque à ſuo trunco nervum qui ſenſum parti dolenti largitur. At verò utrùm laboret nervus, & quis ſit nervus laborans ignorat: quem nervum ſcalpello ſecare debeat, neſcit. Quis futurus ſit ſectionis effectus hunc omninò latet. A tali autèm operatione nedùm aliquid boni poſſit exurgere, imò plurimum mali certò oriri debere aſſerimus, ſequentia demonſtrabunt.

I T.

NERVUS quinti paris ortus à pedunculis cerebelli, deſcendit utrinquè in duræ matris caveam, in quâ denſam efformat tæniam, duræ matri vehementèr adhærentem (*a*).

Mox pergit ſuprà latus anterius oſſis petroſi ibíque dividitur in tres truncos (*b*).

Primus truncus ophthalmicus à Williſio, à Winſlovio orbitarius dictus, prodit à nervo quinti paris, aliquot lineis antè proceſſum clinoideum poſteriorem, vehementèr adhæret ſepto ſinum cavernoſum claudenti; ibi comitem accipit nervum à ſexto pare, aliumque à quarto venientem (*c*). Poſteà accedens ad fiſſuram ſphenoïdeam, jungitur ramo tertii paris. Dividitur deindè in tres ramos, antequàm orbitæ cavum ingrediatur.

Primus ophthalmici nervi ramus, frontalis dictus, per fiſſuram poſteriorem, propè ſupremam marginis partem, orbitam intrat; dat ſurculum qui exeundo ex orbitâ fibras ſuas palpebræ ejuſque muſculis diſtribuit.

Deìn ex orbitâ per foramen ſuperciliare ſuperius exit ramus frontalis, reflectitur circà marginem orbitæ ſuperiorem, dividiturque in duo ſtrata, unum ſuperficiale, alterum verò profundum: ambo fibras ſuas in cutem, muſculum frontis, & aponeuroſem diſpergunt uſque ad ſuturam coronalem.

Secundus ramus, qui lacrymalis vocatur, duræ matri adhærens, & comite ſuâ arteriâ orbitam intrat ad latus externum muſculi abductoris oculi; ſurculum exhibet, qui jungitur duobus nervulis ortis à maxillari ſuperiori, (de quo infrà dicturi ſumus) deìn ſub orbitæ perioſteo latens, fertur ad glandulam lacrymalem, & ad tunicam oculi adnatam.

Tertius ejuſdem nervi ramus, nempè naſalis, ortus juxtà ſinum cavernoſum, ſurculum exhibet, conducentem formationi iſtius ganglii, à quo oriuntur nervi plexum ciliarem efformantes, quorum pars ſcleroticam ſubit, pars ad uveam uſque repit.

Deìn in duos ſurculos dividitur nervus naſalis, quorum primus iſque major, canalem orbitarium penetrando, redit in cranium, & tranſeundo ſuprà cellulas ethmoïdales, naſum ingreditur fibras ſuas ſpargens membranæ pituitariæ, deſinitque verſùs ſeptum naſale. Secundus fertur ad angulum oculi internum, & diſtribuitur carunculæ lacrymali, ſacco, muſculis palpebræ vicinis, muſculis naſi pyramidalibus, & deſinit in cutem naſi, verſus ejus dorſum.

Secundus quinti paris truncus major primo, tertio verò minor, inter utrumque ſitus, ab ortu ſuo foramen offendit rotun-

(*a*) Non enìm ganglium efficit, ut vult. Cl. Winſlovius, ſed textum denſiſſimum in plura ſtrata diſtinctum. *Meckel, Diſſert. pag.* 12.

(*b*) Primas diviſiones nervi quinti paris appellamus truncos; ſecundas, ramos; tertias, ſurculos, ultimas deniquè, fibras nominamus, ut tollatur omnis verborum ambiguitas.

(*c*) Hunc ultimum ramum patheticum appellat Winſlovius.

dum per quod exit è cranio. Maxillaris ſuperior dicitur. Ante vel illicò poſt ſuum exitum, propè fiſſuram ſphenoïdeam ſurculum exhibet (*d*), qui poſt binam cum nervo lacrymali communicationem, perforato orbitæ perioſteo, tendit ad glandulam lacrymalem; ex hâc per unum aut duo foraminula os Malæ perforantia abit in faciem, & in cutem Malæ diſpergitur.

Mox truncus nervi maxillaris ſuperioris propè baſim alarum pterygoidearum dividitur in quatuor ramos. *Primus*, Spheno-Palatinus, ſeu Vidianus. *Secundus*, Palatinus. *Tertius*, Alveolaris. *Quartus*, Infra-orbitalis dicitur.

Primus nempè Vidianus, juxtà foramen Sphenopalatinum aliquot fibras ſuperiori membranæ pituitariæ parti mittit, hi ſunt nervi naſales ſuperiores anteriores, canalem pterygoïdeum intrat nervus Vidianus, aliaſque mittit fibras membranæ pituitariæ, verſus vomer & tubam; & hi ſunt naſales ſuperiores poſteriores.

Brevì redit in cranium nervus Vidianus, per aperturam canalis ſui poſteriorem, dividiturque in duos ſurculos. Primus minor & ſuperficialis ſe inſinuat in fiſſuram aquæ-ductûs Fallopiani, & anaſtomoſim facit cum parte durâ nervi auditorii. *Secundus*, major & profundus inter utramque carotidis flexuram tranſeundo, ſubit canalem caroticum, deìn inſeritur ad angulum acutum radici nervi intercoſtalis quæ à 6°. pare deſcendit (*e*).

Alter nervi maxillaris ſuperioris ramus, qui palatinus dicitur, in tres dividitur ſurculos, qui per canalem pterygo-palatinum deſcendunt. *Primus* major, fibras inferiori membranæ parti diſtribuit. Hi ſunt nervi naſales inferiores. Exit deindè è canali, abitque in cœlum palati, ubì evaneſcit. *Secundus*, deſinit in Uvulam & muſculum palati mobilis levatorem. *Tertius*, in glandulas palatinas & Tonſillas abit.

Tertius nervi maxillaris ſuperioris, iſque minimus ramus, alveolaris ſeu dentalis ſuperior nuncupatur. Hic duos habet ſurculos, quorum primus anterior deſinit in fibras buccinatoris, ſecundus poſterior fibras ſuas mittit ad dentes molares ſuperiores.

Quartus deniquè ramus ſeu potiùs continuatio trunci maxillaris ſuperioris, ſubit foramen infra-orbitale, ibíque nomen nervi infra-orbitalis accipit. Dentibus inciſoriis mittit aliquot fibras per cellularem ſubſtantiam oſſis Malæ deſcendentes. Ex hoc foramine infrà muſculum inciſorium, perioſteo adhærens emergit in faciem nervus infra-orbitalis, exhibendo ſurculum

(*d*) Hic omnium nervorum minimus, vocatus fuit malæ ſubcutaneus à Cl. Meckel, qui eximiam ſcripſit Diſſertationem de nervo quinti paris. Hanc in præſenti deſcriptione ducem ſequuti ſumus.

(*e*) Hanc veram & conſtantem nervi intercoſtalis originem detexit ſuprà laudatus Meckel; illam etiam vidimus, & videbit quiſquis nervos omnes quinti paris accuratè proſequi voluerit.

qui reflectitur versus marginem orbitæ inferiorem; adit musculum palpebræ orbicularem; jungitur ramo nervi duri septimi paris, desinitque in saccum & carunculam lacrymalem. Deindè à nervo Infra-orbitali emergunt aliquot fibræ nerveæ, quæ feruntur ad nasum externum, & aliæ quæ ad musculos labio superiori proprios tendunt.

Tertius quinti paris truncus omnium maximus, isque Maxillaris Inferior audit; exit è cranio per foramen ovale, pergensque sub musculo pterygoideo externo, dividitur in duos ramos.

Primus, superior & minor, quinque exhibet surculos; unus fertur ad angulum ossis temporum, & totus evanescit in musculo massetere; alter retrò suturam squammosam ascendit, & desinit in partem crotaphitæ posteriorem. Tertius, secundo major, ascendit suprà magnam sphenoïdis alam, & fibras suas mittit ad partem crotaphitæ internam. Quartus, à foramine ovali inter duos pterygoideos musculos descendens, pergit usque ad musculum buccinatorem. Quintus deniquè, isque omnium minimus, totus distribuitur musculo pterygoideo externo.

Secundus ramus, inferior & major, vera est nervi maxillaris inferioris continuatio, surculum exhibet super arteriam maxillarem inter ambos musculos pterygoideos inflexam. Hic, aliquot ab ortu suo lineis, comitem accipit nervum chordam tympani dictum, quem ad linguam secum deducit. Hoc autem exhibito surculo, canalem maxillarem inferiorem ingreditur nervus maxillaris inferior comite venâ & arteriâ, fibras distribuit dentibus suprà hunc canalem sitis; exit per foramen mentale, desinitque in cutem & musculos labii inferioris.

III.

TRES ergò isti quinti paris trunci, pluribus inter se communicant anastomosibus, communicantque cum ramis à durâ nervi auditorii parte venientibus.

Ab orbitâ verò usque ad mentum surculos suos mille modis contortos spargit nervus auditorius durus, iique præsertim motum sensumque musculis faciei impertiuntur. Parùm enim huic sensui aut motui inserviunt nervus malæ subcutaneus, & infra-orbitalis. Is quippè ità gracilis est ut virorum in secandis nervis exercitatissimorum oculos huc-usque fugerit. Hunc solus detexit Meckel, qui sectione viginti vicibus repetitâ, id unum intendebat, ut nè minimam quidèm fibram à quinto pare venientem omitteret. Alter, nempè infra-orbitalis, majorem fibrarum suarum partem palpebræ & dentibus mittit, aliquot tantùm, easque minimas, versus nasum & labium superius spargens.

Dolor faciei & capitis vividissimus pendet-ne primariò à nervis? Ab humore heterogeneo qualicumque nervos vellicante?

A fibrarum muſcularium vehementiori conſtrictione, aut deniquè à perioſteo? Nemo eſt, ni fallor, qui hâc de re certò pronuntiare poſſit; deficiunt enìm ſigna diagnoſtica. Ponamus tamèn à nervis oriri omninò hunc dolorem (*f*), quam ex ſuprà dictis cauſam incuſabit iſte affectus ingratum ſenſum producens? Num tenſionem nimiam, aut irritationem, aut potius compreſſionem? Soli tenſioni aliquam poteſt medelam afferre ſectio.

Quis verò ſecabitur ramus? Infra-orbitalis? Suum ergò ſcalpellum tranſversìm & obliquè diriget Chirurgus, à ſupremâ alæ naſalis parte, uſque ad locum apophyſi maſtoïdeæ oſſis Malæ ſubjacentem, quidquid ibi reperitur profundè ad os uſque incidendo; ſicque faciet vulnus quatuor ad minimum lineas altum, quo tegumenta, textus cellularis, muſculus inciſorius major, nervus tandèm & ipſummet perioſteum tranſversìm dividentur. Hìnc muſculi antagoniſtæ perpetua & invita contractio, partiſque oppoſitæ labii ſuperioris diſtortio: hìnc palpebræ inferioris aliquanta inverſio, etenim nervo ſuo orbata manebit pars muſculi orbicularis inferior (*g*).

Nedùm autèm à tali ſectione minui poſſit nervorum totius faciei tenſio, non poteſt è contrario quìn augeatur. Minimè enìm à ſe recedent ambo nervi reſciſſi extrema; obſtat quippè vehemens ipſorum cum perioſteo adhæſio; intereàque partem inferiorem fortiùs quam anteà diſtrahet ramus à duro nervo ortus quocum anaſtomoſim facit Infra-orbitalis (*h*).

Nec facilis erit vulneris facti curatio. Omninò enim reciſæ fuerunt fibræ muſculares omnes; adhibenda ergò erunt fila, aut emplaſtrum glutinans cum faſciâ uniente, ut oræ ſemèl adductæ contineantur. Quod ſi filis utatur Chirurgus, novam pariet irritationem & dolorem priori forsàn pejorem, sìn verò ſuturis faſciam unientem anteponit, quotiès vulneris laxabuntur vincula, ambæ muſculi partes diducentur, nec unquàm glutinari poterunt.

A ſectione nervi Malæ ſubcutanei, non majus exurget commodum; minores enim ſunt hujus rami fibræ quam ut poſſint haberi pro genuinâ doloris vividiſſimi ſede.

Rationi etiam repugnat ſectio nervorum à 7°. pari venientium. Totus enìm reſcindendus eſſet plexus anſerinus, propter innumeras ramorum quibus conſtat anaſtomoſes. Inſtituenda igitùr eſſet inciſio, à parte auris anteriori uſque ad labii commiſſuram:

(*f*) Abſit à nobis ut nervos quoſcumque pro verâ doloris ſede recuſemus. hìc enim non loquimur niſi de nervis qui ſecari poſſunt, minimè verò de ultimis fibrarum nervearum extremitatibus, quæ ipſammet fibrarum muſcularium compoſitionem ingrediuntur; ſub hoc ſolo reſpectu dicimus ſedem iſtius doloris de quo agitur poſſe eſſe fibras muſculares nimìs conſtrictas.

(*g*) Vide Coroll. ſecundum, ubì de ramo infrà orbitali.

(*h*) Vide Coroll. ſecundum.

tali autèm vulnere transversìm resecarentur musculi omnes maxillæ movendæ destinati, imò lædi etiam possent salivales ductus (*i*). Nullis ergò niti theoriæ principiis nervorum sectionem probant morbi natura, & partium structura, hanc inutilem esse & periculi plenam non minùs apertè demonstrat experientia.

I V.

JAMDUDUM pertinaces partium dolores ferro aut etiam igne felicitèr curaverunt Medici. Sic incisione ad cranium usque penetrante, (*l*) admotâ etiam terebrâ multoties sanatæ sunt teterrimæ cephalalgiæ. Factâ incisione, illicò desinit vividissimus dolor à paronichiâ ortus. Antiquum Tali dolorem scalpello perfectè sanavit D. Lafaye. Ingratum deniquè arthritidis sensum, ad temporis momentum sedat Moxæ ustulatio (*m*).

Istis autem sectionibus nedum adversentur imò favent morbi natura & partium structura, tollitur enìm nimia membranæ aut aponeurosis constrictio, si quis adsit humor heterogeneus ipsi paratur exitus.

Quàm diversè se gerant ii qui nervos rescindi jubent, unusquisque facilè persentit. His nimiam fibrarum constrictionem tollere, aut humorem præsentem (quod absque ullo periculi metu fieri posset) educere non est animus; nervos incusant, & illos, quisquis futurus sit eventus, resecare non dubitant.

Nuperrimè ter Parisiis instituta fuit hæc operatio. Trium ægrotorum fidelem historiam breviter hic exarare operæ pretium est, omissis omnibus quæ nihil ad præsentem quæstionem attinent, ut nemini ullus deinceps remaneat dubitandi locus quàm in fragili posita sit spes salutis ab illâ operatione expectanda.

Primus (1) laborabat jàm à longo tempore, dolore faciei capitisque vehementi nulli æquiparando. Parisios venit, consilium expostulaturus à Medico, qui ipsi autor fuit ut sectionem nervi infrà-orbitalis, velut remedium cæteris præstantius experiretur. Operationem perfecit Chirurgus Parisiensis. Per aliquot dies delinitus dolor omnia læta pollicebatur. Posteà tamèn vividus recruduit dolor, ad quem sanandum ad novam sectionem confugere placuit; quâ peractâ, quin & tertiâ quâ novus incideretur nervus, tam benè sibi visus est habere æger ut de restitutâ salute nullus dubitaret, imò mirarentur singuli quicumque pristino-

(*i*) Truncum istius plexus anserini lædere piaculum foret, totus enim latet in parotide.

(*l*) Quandò nempè à nimiâ pericranii constrictione, aut ab aliquâ tabulæ internæ eminentiâ duram meningem pungente, aut deniquè ab abscessu in diploë nato pendet dolor.

(*m*) Exempla ferri aut ignis etiam feliciter admoti passim reperies apud Hollerium cap I. de doloribus capitis, apud Forestum, pag. 321, 339, 380. Ballonium, Galenum, &c. Alpinum de Medicinâ Ægyptiorum, pag. 98. Quin & ipsemet Hippocrates (libro secundo de morbis) operationem de quâ nunc agitur suasisse videtur, cum dicit.... Crustas octo capiti inurito, duas circà aures, duas in occipitio, hinc atque hinc ad cervicis nervum, duas *in naso circa angulos oculorum*. Verùm ubi sic loquitur, agit de dolore capitis humoribus repleti. *édit. Lind.*

(1) R. P. Besson è Premonstratensium familiâ Religiosus & propè Blesas Parœciæ *Des Montils* Rector.

rum cruciatuum testes fuerant, stupendum morbi adeò singularis exitum.

Lutetiam ergo relinquens diœcesim suam repetit, ut munus Parochi sibi commissum adimpleret. Ibi quartam sectionem perfici voluit à D. Vallon (*n*) Chirurgo; deindè quintam ab alio Chirurgo. Vere proximè elapso, Lotharingiam petiit, ut balnea, Embrochen (gallicè *Douche*) & haustum aquarum thermalium experiretur: 1°. ad fontem gallicè dictum, *Bains*, posteà ad Fontem Plumbariensem.

Interrogatus utrum perfectè sanatus sit, respondet adeò mirandam esse aquarum Plumbariæ efficaciam, ut illarum usum vere proximo denuò suscipere non dubitet. Ulteriùs percontanti, aut nihil, aut aliquid ita ambiguum oscitans hallucinatur, ut de suo morbo, vel sanato, vel non sanato (solus) dubitare videatur. Id unum asserit, morbum suo similem solo prædictarum aquarum usu sanari posse, præsertìm si hauriantur ad fontem dictum *Bussans* (*o*).

Alteri ægroto dolebat etiam facies immanitèr ex quo ambo ipsi avulsi fuerant dentes. Ille inutilia expertus remedia omnia, ad operationem, tunc famosam, velùt ad sacram anchoram confugit (*p*).

Hanc perfecit Chirurgus Parisiensis alter: 1° cutem frontis juxtà fibrarum muscularium directionem: 2°. nervum infra-orbitalem secuit: 3°. incisionem non ità altam fecit obliquè suprà malam: 4°. deniquè suprà maxillam inferiorem propè foramen in quod fertur nervus maxillaris; per aliquot dies evanuit dolor, ità ut perfectè sanatum fuisse ægrum nemo non existimaverit. Paulò-post verò doluit immanitèr & obiit post dies viginti.

(*q*) Tertius à quinque annis cruciabatur dolore faciei vividissimo; aderant identidem convulsiones quibus mirum in modum distorquebantur labra, palpebræ, nasus. Operationem etiàm passus est quam modò dictus Chirurgus celebravit: primò frontalem nervum, posteà infra-orbitalem, tandèmque maxillarem inferiorem resecuit, & ferrum candens intra vulnera admovit. Ne minimum quidèm indè levamen percepit æger, doletque nunc ipsi facies, ut anteà dolebat (*r*).

V.

REPONENT forsàn doctrinæ quam impugnamus (*si qui super sint*) fautores, nervorum sectione destrui omnem ipsorum *sympathiam*, ità ut ingratus partis morbo tentatæ affectus jam non

(*n*) Hinc patet tribus præcedentibus sectonibus non fuisse sanatum.

(*o*) Hæc omnia testatur epistola scripta ab ægroti familiari cujus pater Chirurgus jam perfecit sectionem.

(*p*) Huic nomen erat *Peromet*, lignarius artifex, habitabat in majori viâ sub-urbii Antoniani.

(*q*) *D. de Greux*, Eques & Commendator Ordinis Melitensis.

(*r*) Hujus ægroti historiam nobiscùm communicavit *D. Raveneau*, ægroti Scriba familiaris; hanc legimus subsignatam a duobus Cl. hujus Scholæ Magistris, *DD. Boyer & le Thieullier*.

possit ad cerebrum usquè transmitti. Sed tale argumentum in tenui labor est evertere.

Primò enim omnimodæ illæ ramorum omnium suprà descriptorum anastomoses (*s*) tam singulare inter se commercium habent, ut nullatenùs destrui possit, nisi secentur omnes nervi; quod absurdum foret.

Aliundè mirabilem hanc & constantem organorum dispositionem, licet-nè funditùs subvertere, absque gravioris periculi metu, & sinè temeritatis crimine?

(*t*) *Sola*, (inquit auctor celeberrimus) *genuinaque artis promovendæ ea est norma, quâ solius amore veritatis, unico opitulandi studio summo cum candore & Christianâ simplicitate, sic facta enarrantur, ut non minus infausta, quam fausta innotescant. Ad pondus sanctuarii omnes in Medicinâ & Chirurgiâ appendendæ sunt observationes priusquam in lucem prodeant, ut ars inde capiat augmentum.*

Hoc solo veritatis amore ducti, quæstionem præsentem examinandam suscepimus, quæ erant demonstranda, demonstravimus; quæ probanda, probavimus; quæ solum enarranda, eâ quâ decet viros probos fidelitate, narravimus, nil proinde vetat quin concludamus.

Ergò in pertinacibus faciei capitisque doloribus, nihil prodesse, sed contra plurimum nocere potest nervorum Quinti Paris sectio.

(*s*) Vide parag. secundum.

(*t*) Ant. de Haën ratio medendi parte 6. cap. 6. n°. 5. Ibi candidè fatetur vir Clar. se bis tentasse curationem dolorum capitis & amaurosis ferrum igneumque admovendo, mortemque ægrotorum soli operationi tribuendam esse non solum fatetur, sed demonstrat.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Guillelmus FUMÉE.	*M. Joannes* DESCEMET, *Censor Regius & Scholar. Prof. designatus.*	*M. Nicolaus* LE ROI DE SAINT-AIGNAN.
M. Marinus-Jacobus-Clarus ROBERT.	*M. Joannes-Baptista-Franciscus* DE LA RIVIERE, *Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castelleto.*	*M. Ludovicus Claudius* BOURDELIN, *antiquus Facultatis* Decanus, *Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Berolinensis Socius, in Horto Regio Chimiæ Prof. & Galliarum Principum Medic. Primar.*
M. Maximilianus-Josephus LEYS.	*M. Guido* DANIÉ DESPATUREAUX, *Chirurgiæ Gallico idiomate Professor designatus.*	*M. Michael-Ludovicus* VERNAGE, *Eques & Censor Regius.*

Proponebat Parisiis PETRUS-MARIA VIEILLARD, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor. A. R. S. H. 1768. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universit. & Facult. Medic. Typographi, 1768.